

H III
756 8

10
R M K III.
756

1586.

2. M. K. III.
456.
Seljes.

V O T A
IN DISCESSVM,
PIETATE, HVMANITA-
te atque doctrina ornati, Dn. D A-
NIELIS MENSATORII Arvensis
in patriam, ex celeberrima VViteber-
gensium Academia redeunti, ibi-
demque Ministerio sacro inautorati,
scripta ab amicis 3. Calend.
Decemb. Anno Domini
M. D. LXXXVI.



VVITEBERGAE
Excudebat Matthaus VVelack.

60

Hæbus ut audivit plenis te relinquere velis,
Leucoridum saltus, Leucoridumq; domus.
Protinus exclamat: DANIEL, decus addite Musis,
Cur citò tam linquis, meq; meumq; gregem?
Qua te causa iubet celeri discedere gressu?
Quò fugis? aut qua nam ponis in urbe pedem?
Fallor? an ad patriæ virtus vestigia tractus?
Teq; gregis Domini cura benigna trahit?
Sic habet: idcirco felici sidere perge,
Quò tua te virtus ingeniumq; vocat.
Spes est te patriæ laudi, Musisq; futurum,
Et non indignum laudibus esse meis.
Vtpote, qui trades populis mysteria sacra,
Atque coles vera religione DEVM.
Extulit ingenium te tanta ad munera CHRISTI,
Officium virtus concomitanter habet.
Altitonans faxit, verbi ut sacra iura gubernes,
Longùm, & constanti Christum in honore feras:
Denique Pannonidum venias quò salvus ad oras,
Coniungo votis, hac mea vota tuis.
Vive diu, sed vive DEO, sic vivere longùm,
Detur, & atherea post regione frui.

M. Christophorus Sylbermannus Gottanus
Ecclesiæ Viteberg. Diaconus.

A L I V D.

Vita qua CHRISTI deceat Ministrum,
Id docet sermone satis diserto,
Magnus ille, & Tharsiacâ profectus
Doctus ab urbe.

A 2

Scit a



Scita cœlestis veneranda libri
Noverit, certam teneat docendi
Regulam, CHRISTI iuguletq; verbo
Prava docentes.

Integer vitæ scelerumq; constans,
Hostis & castæ thalamos Maritæ
Vnius sectans, Paphia nefandos
Vitet amores.

E toro natam sobolem iugali,
Moribus castis teneram venustet,
In fide, & sancta pietate primis
Formet ab annis.

Non gerat sublimi animos tumentes
Insolens factu, stomachumq; bili
Non acerbet, sed ratione, cordis
Temperet ignes.

Non graves lacho vacuet culillos,
Ebrius ructet neque per popinas,
Non ferox pugnas creat, perosus,
Pacis amores.

Non fame argenti malè torqueatur,
Sed sit in cunctos facilis, suavis,
Continens, iustusq; φιλότιμοςq;
Atq; benignus.

Ergo si CHRISTI, DANIEL, Minister,
Esse vis fidus, memor esto norma
Istius, spartam, studioq; quam nunc
Nactus es orna.

Sic tuam non despiciet iuventam
Illus, & gratos DOMINO labores
Vineâ in sancta poteris locare
Sedulus usq;

Nunc

Nunc voco summum precibus Parentem,
Omne ut sumas sacra pensa fausto,
Entheâ dux tibi sisq; praesto
Spiritus aura.

Hieremias Sartorius Ar.

A L I V D.

NON domus ipsa sibi, non urbs creat ipsa Ministros,
Qui de suggesto dogmata sacra docent:
Sed tu CHRISTE tui qui sanctis dogmata Verbi,
Felices ovibus dasq; facisq; duces.
Ergo roges quo nanq; modo acquirantur ab ipso:
Si prece constanti sollicitemus eum.
Et vult non tantum semel hic iterumq; precari,
Vel primùm populo quando dat hosce suo:
Sed donec terris traducunt tempora vita,
Spargentes verbi dogmata sacra DEI.
Quare devotè petimus te summe sacerdos,
CHRISTE, pij solus duxq; caputq; gregis.
Tu sacrum præsens istius dirige munus,
Ut tam principium quam benè finis eat.

Nicolaus Baticius Arvensis.

A L I V D.

ERGO animo tandem varia feliciter aucto
Doctrina, ad patriam est fas remeare solum,
Nec vetat id turpis, prohibet qui saepe reverti
Ieiunos iuvenes & sine fruge pudor.

A 3

Ifelix

*1 felix igitur, quò fata Deusq̄ iubebunt:
1 patria referens commoda multa tue.
At tu CHRISTE tuum hunc, oro, defende ministerium,
Nanq̄ Ecclesiis serviet ille tuis.
Et grandi dulces in munere suffice vires,
Vt possit sacrum pascere ritè gregem.*

Martinus Sturmius
Leutschovienſis Pan.

A L I V D.

*G*Ratulor ergo tibi Daniel suavissime, quòd iam
Sparsurus summes, iussa verenda DEI.
O nimium felix, ò terq̄, quaterq̄, beatus,
Cuius vox cælos plantat in orbe novos.
Officium maius non hoc præstantius ullum,
Attamen id perfert qui pius esse studet.
Tu quoq̄, fac doceas, moneas, facinusq̄, nefandum
Perstringas, & onus dulce laboris erit.
Pastor, CHRISTE, gregis, Danieli suffice vires,
Vt possit populum ritè docere tuum.
Fortiter & Latè reprimens commenta Baalis,
Sic laudem meritis asserat usque tuis.

Martinus Chudicius
Vetuzol. Pan.

ALIVD

A L I V D.

1 Timoth 3. & Tit. 4.

*Q*uis quis honorando perfungi munere Mystæ,
Et Domini fidus Dux gregis esse cupit:
Hic opus aggreditur clarum, laudabile factum,
Christicolis gratum non minus atq̄ Deo.
Huius enim sancta, quò sit celeberrima, fama?
Illorumq̄, anima consuluisse studet.
At norma Pauli prius hunc meminisse iuvabit:
Si dare Pastorem post voles ille bonum.
Artes percipiat, sinceraq̄, dogmata, linguas,
Mystica quò verbi ritè secare sciat:
Confutare strophas, hostes, tumidosq̄, Sophistas,
Personam lacerant qui bone Christe tuam.
Vna sit huic uxor, sit crimine purus ab omni,
Sit famulus, soboles, sit quoq̄, pura domus.
Eleuet ipsius non vana superbia mentem,
Non tribuatq̄, magis quàm decet ipse sibi.
Fastus enim plerunq̄, malam defendere causam,
Perniciosa bonis multa ciere solet.
Affectus reprimat nimios, sit tardus ad iram:
Sapius hæc etenim sunt gravis ansa mali.
Luxuriam fugiat, non vino se obruat unquam:
Ebrietas semper pernicioſa fuit.
Non sit vindicta cupidus, non castra sequatur
Marta, legitime causam agat ille suam.
Nummi sacra fames, & habendi aira cupido,
Exulet a tali sitq̄, remota viro.
Si sit avarus enim, nequit huic constantia honestæ
Lauribus, rectum iudicijq̄, decus.

A 4

Munificum

*M*arificam miseris se praebeat atq; benignam,
Sic reliquis etiam se dabit ipse typum.
*M*itiss, placidus, pacis studiosus & equus:
His hominum mirè conciliatur amor.
Illicitem venerem, turpisq; libidinis ignes,
Ac fugiat vite quicquid obesse potest.
Afferat aeterna constanter verba salutis,
Extollat vocem, ceu tuba clara, suam.
Non unguem minimum, rumpantur ut illi, cedat,
Sit rota vel gladius, crux subeunda, rogas.
Hec sunt praecipuae leges, normaq; Ministrum,
Pectore sollicito quas retinere decet.
Ergo Evangelij cum sit tibi cura docendi,
Commissumq; hominum grande salutis opus &
Officium, vitam, normam composito ad istam,
Dirigat & mores hac Ariadna tuos.
I ergo & magni nomen celebrato IEHOVAE,
Sedulius officij munus obito tui.
Nullius ad placitum puro de semine verbi
Vel minimus sanè prateratur apex.
Sit tibi dulce mori pro religione superna:
Nomine pro Christi sit tibi dulce mori.
Martyrio accipies dignam super axe coronam,
Qua manet aeternos, perpetuosq; dies.

Martinus Sluconinus VV.

A L I V D.

*D*elicis floret mundus fruiturq; frequenter,
Floret & illius semper ubiq; favor.
At tua vita, dies quales sint orbe futuri,
Iam siquidem iunis tam, grave frater onus:

Id

*I*d monstrant Patres, testantur vitæ Prophetae,
Omnibus atq; docet Pagina sacra locis.
Ad patrios nunc ergo lares, quo iussa potentis,
Te revocant saluus, non remoreris, abi.
Frigoris atrox te non turbet ventus euntem
Sythoniaeq; nives quas fera ponit hyems.
Non patris, neq; Fautorum mors, pessima Clotho
Quos tibi de mundo, parca severa, tulit.
Ante tuum sed iam populum ut gradereris in omni
Vita, sit, pietas religioq; super.
Nam cunctos nutrit, charisq; Parentibus orbos,
Curat & afflictos aexterioris ope.
Suggeret ille tibi qua dicas, ille secundos,
Successusq; tibi solus ab axe dabit.
Paucis haec placuit: perlectis suscipe rectum,
Quod faustum reddas CHRISTE Redemptor, iter.

Iohannes Lazyczkius
Lyptovienlis.

A L I V D.

*M*aius obit nemo spatioso munus in orbe
Ad verbi quam qui pascua ducit oves.
Irritus hic labor est, humanis viribus impar,
Robore succurrat nî DEVS ipse suo.
Huic oneri, Dantel quia nunctua brachia praebes,
Ac hominum partem tu quoq; sortis habes:
Mittatur sacrum summo tibi FLAMEN ab axe,
Ut possis rectè verba secare DEI.
Constanti doceas animo Christumq; fidemq;
Pollicitis mundi, nec moveare minus.

Depellat

*Depellas stabulis furesq; luposq; rapaces,
A lese verbi des medicamen ovi.
Pontificum purges, Israël fonte lacunus,
He perinunt hæste, corda sed ille fovet.
Et quoties animum cognominis omen adibit,
Fac, mensam Domine multa glossa petat,
Solius quæras laudemq; decusq; Tonantis,
Et fiat d'ctis consona vita tuis.
Quò fatis cedens, regione loceris in alta,
Mente cupit pura nostra Thalia tibi.*

Martinus Intybus
Arvenus.

A L I V D.

*D'vm larios placida tolerasti mente labores,
Hicq; pium sacras pectus ut auxit opes:
Stant ubi Pieris extructa Palatia Musis,
Ac ubi Pegasei flumina fontis eunt,
Tangere contendis reduci natalia tandem,
Arva pede, & cara dulcia tecta domus.
Stelliferum niveas cum cælum spargere plumas
Incipit, & nubes conglomerare vagas.
Scilicet ut veri sortitus pensa ministri,
Excubias CHRISTI pro grege pastor agas.
Quod tibi divini quia suasit numinis aura
Aa patrios fausto sydere perge lares,
Te contempletur vultu fortuna secundo,
Salvo, confictas ut inga longa, pede.*

Iohannes Bergerus.

A L I V D

A L I V D.

*Quisquis Apostolici pars muneris expetit esse,
Atq; gregem DOMINI pascere rite cupit,
Ille opus eximium, præclaraq; munia vita
Appetit, ut Pauli pagina sacra docet.
Ergo tu quoniam tali quoq; munere gaudes,
Divini Pastor, factus & ipse gregis.
Est quod præsentis meriti tibi grater honore,
Atque feram cæptis nunc pia vota tuis.
Sit felix faustumq; precor, quod munus obibis,
Fructiferum populo sit, pie Christe, tuo:
Cedat & in propriam multorum, quæso, salutem,
Serviat ad laudem nominis usq; DEI.
Ingenij vires divini Flaminis Aura
Suggestat, & placidam numinis addat opem,
Atque tuos semper sic omnes dirigat actus,
Ut per te CHRISTI gloria crescat, AMEN.*

Valentinus Plateanus
Oppolien. Silesius.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

